



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victor extiterit. Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

desitutum, verum etiam suam mentem ad meliora cogitanda conuersurum. Et quamquam iste singulari humanitatis studio ista instituebat, inducebatq; in animum iniuriam toleranter ferre, & indigno impertire veniam, ille tamen nequiquam ab improbitate se abstinuit: Sed mala malis accumulans, Sceleratiora facinora aggreditur: ac de integro fallacibus & dolosis præstigiatorum institutis, animo confidere cepit. Licebat profecto eandem sententiam de eo, atque de veteri tyranno pronuntiare, quod Deus eius cor plane indurauerat.

Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victor extiterit. CAP. XII.

Qui cum animum eiusmodi obstrinxisset sceleribus, seque in exitii tanquam barathrum detrussisset, Constantinus qui secundò iam bellum necessario gerendum animaduerneret, seruatori suo preces fundendi, tempus vacuum & solutum dicauit: & crucis tabernaculo extra castra etiam longissimè fixo, ibi syncere & pie meditationi se dedens, more veteris illius Dei prophætæ, quem extra castra tabernaculum fixisse diuina confirmant oracula, Deum orare cepit. Nonnulli etiã, quos ipse ob fidei & pietatis studium satis spectatos habuit, in idem minus cum eo vnà incumbebant: hocq; etiam alias exequi ei erat in more positum, cum bello cum hoste decertare constitueret. Nam sicut propter securitatè tardior in rebus gerendis fuit, sic dei consilio omnia administrare consultum statuit. Et cum iam vacuo animo attente deo preces adhibebat, semper diuina aliqua visione dignatus fuit, Ac post illud tanquam diuino instinctu impulsus, exiit è tabernaculo, & repente exercitum incitare cepit: mandauitque vt nulla mora interposita, ipsam gladiatorum aciem experirentur. Qui ex improviso hostes adorti, homines cuiusque ætatis conciderunt: atque interdum puncto ferè temporis parta victoria, trophea contra hostes insignia statuerunt.

Constan-